



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XVII. De variis affectibus, & virtutibus divinæ volitionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

rebus, ad complementum universi, quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, aliis contingentes & defectibiles.

CAPUT XVII.

De variis affectibus & virtutibus divinae volitionis.

RESOLUTIO I. *In Deo sunt quidam affectus voluntatis, non alii.*] IN PRIMIS quod amor sit in Deo probat S. Thomas 1. p. qu. 20. art. 1. quia primus motus voluntatis, & cujuslibet appetitivæ virtutis est amor; siquidem priores sunt actus respicientes bonum quàm malum, cum hoc non sit objectum nisi secundarium, & per aliud, nempe ut opponitur bono. Rursus cum illud sit naturaliter prius, quod est communius, inter actus qui in bonum feruntur prior erit amor quam alii, cum ille respiciat bonum in communi, reliqui vero in bonum ferantur sub aliqua speciali ratione: cum ergo voluntas sit in Deo, ut superius visum est, sequitur etiam in eo amorem esse ponendum.

Secundò, desiderium quatenus fertur in bonum, proprium nondum obtentum, non est in Deo, ut indicat S. Thomas ad 2. quia scilicet Deus nullo bono sibi proprio carere potest; est tamen in Deo desiderium respectu boni alieni quatenus verè nobis & sincerè optat beatitudinem, quam nondum possidemus.

Deinde gaudiū, seu delectatio propriè est in Deo, ut tradit S. Thomas ibidem, & ratio est manifesta, nam gaudium est actus quo voluntas conquiescit in fruitione, seu possessione rei amata; at Deus in seipso perfectissimè quiescit, ergo in eo est gaudium respectu boni proprii. Imò cum Deus vere creaturas amet, consequenter de bono illarum gaudet, quando præsens est; sicut illud desiderat, quandiu obtentum non est.

Rursus in Deo est odium, ut perspicuum est ex verbis illis. *Sapientia 14.* Odio sunt Deo impius & impietas

E

impietas

impietas ejus, & ex illis *Pfal. 5.* Odisti omnes qui operantur iniquitatem. *Ratio* autem est, quia cum Deus seipsum summopere diligat, non potest non odisse peccatum, quod ipsius majestati & bonitati adversatur, ei que valde est injuriosum. Hinc Deus peccatorem odit, non ut hominem, sed ut peccatorem; nec odio inimicitiae proprie dicto, sed abominatio- nis, ut vocant.

Nec refert quod Deus peccatori poenam infligat, non enim ex odio eam illi infligit, sed potius ex sincero affectu, quo correctionem & salutem illius optat. Quemadmodum Pater non ex odio vel displicentia personae, sed ex amore percutit filium suum, virga: ut nempe deinceps à peccato abstineat.

Præterea in Deo non est spes, cum omnia bona perfecte possideat; nec desperatio, cum nihil sit ipsi difficile, nedum impossibile; nec tristitia, cum hæc versetur circa malum præsens & involuntarium, Deus autem non sit capax ullius mali sive voluntarii, sive involuntarii, sive præsentis, sive futuri: nec audacia, cum hæc aggrediatur opera ardua & periculosa, qualia nulla sunt respectu Dei, qui cum infinita sit potentia, quicquid aggreditur summa facilitate, & sine ullo periculo frustrationis ad optatum exitum perducit.

Tandem ira non est in Deo proprie, sed tantum metaphoricè, ut sumitur ex S. Thoma *in eadem responsione ad 2.* & patet, quia ex communiori sententia, ira essentialiter supponit dolorem, sive tristitiam cujus vicem rependat; Deus autem non est capax tristitiæ ex jam dictis, ergo neque iræ proprie dictæ.

RESOLUTIO II. *Deus creaturas rationales diligit vero amore amicitia.*] HOC patet primo ex iis locis Scripturæ, ex quibus constat homines justos esse Dei amicos, ut cum *Pfal. 138.* dicitur, Nimis honorati sunt amici tui Deus, &c. & *Ioan. 15.* Jam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos: *Item* ex Cone. Trident.

sess. 6.

sess. 6. cap. 6. ubi statuitur hominem per justificationē fieri ex inimico amicum, porro amicus est amici amicus, neque potest amicitia constare, nisi inter duos se mutuo redamantes: quare cum homo justus sit Dei amicus, necesse est ut vicissim Deus sit hominis justus amicus, seu quod illum ex vera atque sincera amicitia diligat.

Confirmatur, nam cum Deus hominem justum ex vera benevolentia amet, optando ei verum & solidū bonum, ut ipsi bene sit; & aliunde homo per gratiam elevetur ad statum supernaturalem, in quo fit quodammodo divinæ consors naturæ, & acquirit jus ad beatitudinem, potestque Deum ex vera charitate diligere, nihil vetat quominus vera amicitia inter Deū & hominem reperiri valeat.

Neque refert quod ex Philosopho 8. *Ethic. 5.* amicitia non sit nisi inter æquales, non enim opus est ut hoc intelligatur de æqualitate arithmetica, sed tantum de geometrica, seu proportionis, qualis inter Deum & hominem justum, per gratiam ad filiationē Dei elevatum quodammodo reperitur. Præsertim cū ille eodem *lib. Ethic. cap. 7.* agnoscat speciem quandā amicitia inter superiores & inferiores, quam vocat supereminentiæ, qualem esse ait inter regem & subditum, inter Deum & hominem.

Nota 1. Deum non amare creaturas irracionales amore amicitia, aut benevolentia, tum quia illud non potest terminare amorem amicitia, quod nequit redamare illum à quo diligitur, at irrationalia nequeunt redamare Deum: tum quia inter amicos debet esse communicatio mutua bonorum & voluntatum consensus, quæ & similia nequeunt habere locum in irrationabilibus, ut perspicuum est: quare cum nos ea non amemus ex amicitia; multò minus dici potest, quòd Deus illa hoc modo diligat.

Nota 2. Non incongruè dici posse, Deum amare creaturas irracionales amore concupiscentia, tū quia illa conducunt ad manifestationem attributorum

divinorum: tum quia Deus, licet non sibi, hominibus tamen eas concupiscit tanquam amicis, in quorum utilitatem productæ sunt.

RESOLUTIO III. *Deus magis diligit meliora.* Ita S. Thomas 1. p. q. 20. art. 4. quod probat, quia Deum magis diligere aliquid nihil aliud est quam ei majus bonum velle; sicque eatenus aliqua sunt meliora, quatenus eis Deus majus bonum vult: unde sequitur quod meliora plus diligit.

Notandum autem primò, Deum magis Christum ut hominem diligere, quam totam universitatem creaturarum, ut habetur in respõsione ad 2. quia vult illi majus bonum, nempe ut idem qui est homo, sit Deus, per unitatem personæ Verbi, quæ est essentialiter infinite perfecta.

Notandum 2. Si fiat comparatio inter alios omnes homines, & omnes Angelos, etsi quoad naturalia bona Angeli à Deo magis amati fuerint quam homines, aliunde tamen collectionem hominum magis esse dilectam, tum propter dignitatem quæ ex Verbi Incarnatione in totum genus humanum redundat, tum quia majorem dilectionem erga homines Deus ostendit, quam erga Angelos eò ipso quod illos per Verbi Incarnationem redimere voluerit, non istos.

An autem major gratia, & gloria fuerit collata toti collectioni hominum, quam omnibus simul Angelis, adeoque etiam ex eo capite homines magis dilecti fuerint, satis probabiliter determinari non posse existimo; cum non constet quantus sit Angelorum numerus, quantam gratiam acceperint in instanti creationis, quamdiu & per quales actus meruerint, &c.

Notandum rursus circa respõsionem ad 3. esse presumptuosum judicare, an Deus magis Petrum quam Joannem amaverit; quod puto debere intelligi cum aliqua modificatione, si quis nimirum uni parti tanquam certæ firmiter adhæreat, & aliam ut omnino
impro-

improbabilem aut falsam respuat : hoc enim præsumptionem quandam & temeritatem præ se fert, cum ex sacris litteris vel aliunde non satis constet, quis prædictorum fuerit sanctior, Deoque charior; & pro utraque parte afferri possint variæ conjecturæ non spernendæ, quæ rem valde dubiam relinquunt:

Notandum præterea circa responsionem ad 4. si fiat comparatio inter innocentem & pœnitentem, cum 1. Magis à Deo diligi, qui plus habet gratiæ & gloriæ, siue sit innocens, siue sit pœnitens. 2. Si cætera sint paria, innocentem magis diligi quàm pœnitentem: siquidem illud bonum cæteris paribus est dignius & amabilius, quod nullum supponit malum, quodque invictam & nunquam interruptam perseverantiam in bono continet; quam id quod præcedentis sanctitatis jacturam, & peccatum quod detestetur necessario supponit; at innocentia est bonum prioris generis, pœnitentia posterioris.

Notandum denique circa responsionem ad 5. si prædestinatus spectetur 1. Pro tempore quo versatur in peccato mortali, sic eum à Deo non diligi, sed potius tanquam peccatorem odio haberi; cum contra Deus ab æterno diligit reprobum, pro tempore quo gratia sanctificante instructus est. Si 2. pro tempore quo habet gratiam, tam in hac, quàm in futura vita, sic à Deo magis diligi quàm præscitum, quantumvis justum: unde etsi Deus secundum quid magis diligit reprobum quàm prædestinatum, simpliciter tamen magis hunc quam illum diligit.

RESOLUTIO IV. *In Deo est justitia proprie & strictè sumpta, prout est specialis virtus ab aliis distincta.]*
PROBATUR 1. Quia Scriptura frequentissime indicat, Deum ex vera justitia tribuere gloriam æternam, pro meritis bonorum operum: ut cum *Matth. 20.* proponit parabolam Patrisfamilias conducentis operarios in vineam suam, & promittentis se illis daturum quod justum fuerit, ac tandem post opus expletum

reddentis unicuique mercedem, & jubentis ut quisque tollat quod suum est.

Item quando Paulus 2. ad *Timoth.* 4. ait: Reposita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus iudex; & *Hebr.* 6. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri: Nam corona justitiæ operibus reddenda plane significat, in collatione beatitudinis exerceri justitiam proprie dictam, ac prætereà nisi tale præmium deberetur ex justitia, Deus non esset injustus illud denegando: siquidem non ageret contra justitiam proprie dictam, etsi ageret contra fidelitatem.

Probat 2. ex Patribus qui eidem sententiæ aperitissimè favent Aug. 1. de nat. & gratia c. 2. Non enim, inquit, injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ, & *serm.* 16. de verbis Apostoli, Tenemus Deum debitorem, debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo; & subdit, nos posse Deo dicere, redde quod promissisti, quia fecimus quod jussisti. Bernardus *tract. de gratia & lib. arb.* ait Paulum 2. ad *Tim.* 1. Dei promissum appellare suum depositum, & addit promissum quidem ex misericordia, sed jã ex justitia persolvendū. Similia habent alii passim.

Probat 3. Quia justitia strictè sumpta, est virtus reddens unicuique quod suum est, seu id ad quod habet jus proprie dictum, sed homines supposita Dei promissione, per bona opera acquirunt jus ad gloriam æternam, eamque ut sic respiciunt, tanquam rem suam, & sibi debitam, ut patet ex jam dictis; ergo virtus qua Deus tribuit gloriam propter bona opera, est justitia proprie dicta, ac proinde hæc in Deo admittenda est.

Nota 1. Nullam dicere imperfectionem, quòd Deus propria sponte promittat hominibus præmium sub conditione operis, quodque posito opere teneatur suis stare promissis: hinc enim non sequitur proprie, Deum ipsum ordinari ad creatu-

creaturas, sed tantum bona ipsius ex iustitia illis debita.

Nota 2. Deum non amittere perfectissimum dominium quod habet in creaturas, etsi supposito pacto dandi illis vitam æternam, nõ possit eas destrueret; sicut non desinit esse perfectissime Dominus Angelorum, etsi supposito decreto quo statuit illos in æternum conservare, non possit illos in nihilum reducere; hinc enim tantum sequitur, dominium illud quoad talem usum esse ligatum, qua in re nulla est imperfectio; cum ejusmodi impedimentum ex mero Dei beneplacito, saltem radicaliter, & remotè oriatur.

Nota 3. Etsi inter patrem & filium, ut sic non sit vera iustitia, esse tamen, si pater filio speciale bonorum dominium concedere velit. At Deus concessit homini speciale dominium in suos actus, vultque ut per illos possit obtinere jus ad gloriam æternam.

Nota 4. Licet Deus nequeat propriè constitui debitor erga homines, id non impedire, quin bona illius hominibus debeantur. Ex qua distinctione varia loca Patrum in speciem pugnancia, possunt conciliari; hincque lumen accipit egregius ille locus Augustini *lib. 2. Confess. 4.* Supererogatur tibi ut debeas, & quis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens, donas debita, nihil perdens.

RESOLUTIO V. *In Deo ponenda est misericordia.* Ita S. Tho. *1. p. q. 21. ar. 3.* ubi duo docet 1. misericordiam maximè esse Deo tribuendam, non quidem secundum passionis affectum, sed secundum effectum: Deus enim non afficitur ex miseria alterius per tristitiam, sed repellit illius defectum, & miseriam juxta illud Ansel. *in Profol. cap. 10.* Misericors es, non quia tu sentis affectum, sed quia nos sentimus effectum, atque hoc sufficit ut misericordia sit in Deo propriè & formaliter.

Docet 2. Defectus non tolli nisi per collationem alicujus perfectionis, conferre autem rebus perfectionem, spectare ad quatuor virtutes, nempe ad bonitatem, justitiam, liberalitatem, & misericordiam, sed cum aliquo discrimine: nam communicare perfectiones præcisè, pertinet ad bonitatem eo quod bonum est sui diffusivum; eas verò conferre juxta rerum proportionem, & naturalem exigentiam, spectat ad justitiam legalem seu gubernatricem; quatenus autem Deus nullo modo attendens ad propriam utilitatem, & sine intuitu retributionis perfectiones largitur, hoc pertinet ad liberalitatem; quatenus denique omnes perfectiones à Deo rebus collatæ defectum aliquem expellunt, aut impediunt, sic spectat ad misericordiam latè sumptam, prout ad omnes creaturas etiam ratione carentes extenditur: ad eandem verò proprie & strictè sumptam, ut versatur circa creaturas rationales, & beatitudinis capaces, si perfectio quam tribuit Deus, expellit miseriam proprie dictam, seu quæ veræ foelicitati opponitur.

Nota 1. ex art. 4. in quolibet opere Dei misericordiam & veritatem seu justitiam inveniri: Justitiâ quidem, tum quia Deus non potest aliquid facere, quod non sit conveniens sapientiæ, & bonitati ipsius, & eatenus sibi ex decencia debitum; tum quia quicquid in rebus creatis facit, secundum convenientem ordinem & proportionem facit, prout exigit rerum natura & bonum universi; misericordiam verò tum quia opus divinæ justitiæ semper præsupponit opus misericordiæ, & in eo fundatur, creaturæ enim non debetur aliquid nisi propter aliud in ea præexistens, quod aut proximè, aut saltem remotè à sola bonitate divinâ pendeat; tum quia ea quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largiùs dispensare solet, quam exigit proportio rei, & justitia gubernatrix tribuens unicuique quod ipsius natura exigit. Hæc autem debent intelligi de
justitia

justitia, & misericordia latè & improprie sumptis ut
perspicuum est.

Nota 2. ex respons. ad 1. quædam opera tribui mise-
ricordiæ, quædam justitiæ; quia in nonnullis magis
apparet misericordia, & in aliis justitia: unde damna-
tio reprobatorum dicitur simpliciter opus justitiæ,
quia justitia punitiva potiores partes in ea. obtinet;
in illa tamen apparet misericordia: non quidem to-
tam miseriam depellens, sed etiam minuens, quate-
nus reprobis puniuntur citra condignum, id est, mi-
nori pœna quam per se loquendo, & seclusa ordi-
natione Dei eorum peccatis sit debita; sicut vice ver-
sa prædestinati præmiantur ultra condignum, qua-
tenus potuisset Deus sine injustitia, minorem glo-
riam eorum operibus decernere, quam de facto de-
creverit.

CAPUT XVIII.

*De Providentia divina, & Prædeterminatione
physica.*

RESOLUTIO I. Ponenda est in Deo providen-
tia. **J**EST DE FIDE, ut patet ex Script. *Sapient.*
6. aequaliter cura est illi de omnibus. *Matth. 6.* Respi-
cite volatilia cœli, &c. *Rationem* affert S. Thom. 1. p.
q. 22. art. 3. quia providentia nihil est aliud quam ra-
tio ordinis rerum in finem: at in Deo est talis ratio,
cum operetur per intellectum, adeoque necesse sit
omnium effectuum quos producit, rationem in eo
præexistere.

Addit autem S. Doct. providentiam Deo non cō-
petere, si sumatur ut est ratio ordinis proprii actus,
quia in Deo nihil est ordinabile in finem, sed tantum
si sumatur ut est ratio ordinativa aliorum in finem;
Deus enim omnia producit, & in finem ordinat. Et
in *responsione ad 2.* monet rationem illam ordinis quæ
dicitur providentia, esse æternam; dispositionem ve-
rò & executionem illius esse temporalem, & vocari
gubernationem.